

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertatio Medico-Practica Inauguralis. De Morbo
Maculoso Hæmorrhagico Werlhofii**

**La Faille, Jacob Baart de La Faille, Jacob Baart de
Groningae, MDCCXCIX.**

VD18 13387421

Diagnosis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8951

tatione manebant; intestina omnia erant sana & naturalia; lien tantum solito erat major, sed non obstructus; lobus dexter pulmonis a parte posteriori parum gangræna videbatur adfectus; pulmones, cor, ipsiusque vasa vix sanguinem continebant, & fere omni latice vitali erant destituta (51).

Alter casus, a Doct. J. A. RAYMANNO expositus, erat pueri septem annos nati, a nimia sanguinis jactura extincti, cujus cadaver cultro anatomico perlustrabatur, quod altero post mortem die nullum spargebat putridum fœtorem; extenuatum invenit ventriculum; lienem lividum & atro cruore turgidum, ac ita friabilem, ut levi dissolveretur contactu; hepar exsanguis & pallidum; intestina sparsim rubentia, rectum vero lividum; in jejuno lumbricus vivus repertus est (52).

D I A G N O S I S.

§. 10.

Ex iis, quæ hucusque de hoc morbo, nondum ordine Systematico pertractato, vidimus,

C 3

fa-

(51) Merkw. Krankeng. pag. 173.

(52) Conf. GRAFF Diss. Cit. pag. 22. in not., qui hunc casum communicavit e Miscell. Acad. Nat. Curios. Vol. XI. Obs. XXI. p. 99.



satis liquet, eundem non adeo facile a vicinis distingui posse; hinc signa diagnostica, quibus ab aliis dignoscitur, brevibus exponam.

Ad morbos itaque, cum quibus confundi potest, referendos esse censeo *Petechias ordinarias*, a Recentioribus in *primarias* & *secundarias* divisas; *Scarlatinam*, *Morbillos*, *Miliaria*, ac tandem *Morbum Cæruleum*.

§. II.

Petechie ordinariæ seu *Symptomaticæ* eandem formam, eadem fere, quæ in hoc morbo concurrunt, constituunt symptomata, at vero, si attente examinentur, diversam manifestant indolem; hinc operæ pretium erit, signa characteristicæ, quibus hi morbi differunt, a Cl. WICHMANNO accurate exhibita, paulo attentius investigare.

1^{mo}. Statuit WICHMANN, quod vulgo in nostro morbo nulla observetur febris, & pulsus ordinario tardior sit, quam in statu naturali. — Animadverto tamen, quod illud quidem in genere verum sit, sed nihilominus casus prostant, qui docuerunt, febrem, morbo neglecto vel male tractato, accessisse.

2^{do}. Ponit, quod æger extra lectum esse possit, ac nullum, excepta lassitudine, sentiat incommodum.

dum. — Licet illud in genere non negari possit, tamen etiam nonnunquam accidit, ut hypochondrii dolor et cephalæa hunc morbum concomitentur.

3^{to}. Quod semper sanguis niger in ore colligatur. — In plurimis saltem casibus & regulari morbi decursu illud plerumque locum habet; sed illa hæmorrhagia quoque abesse potest, quum ex aliis colatoriis sive e naribus, pulmonibus, vomitu, cum sedibus & urina emittatur sanguis.

4^{to}. Adferit, quod maculæ hæc inopino sine ulla ægitudine, nisi lassitudine & appetitus defectu, se commonstrent, & principalem efficiant morbum. — Quod certe omnino WICHMANNO concedendum est, quum semper *Petechias secundarias* prægrediatur alius morbus, cujus tanquam symptoma vel complicatio considerari debent.

5^{to}. Adfert, quod hic morbus sit rarior, nunquam epidemicus, nec contagiosus, neque periculosus, & quod contrarium in *Petechiis ordinariis* observetur. — Assentire quidem debemus WICHMANNO, quod nunquam epidemice vagetur; sed tamen sæpius, quam vulgo putatur, occurrit, & facile, si morbus negligatur, vel male tractetur, vel huic accedat febris putrida, contagiosus atque valde periculosus evadere potest.

6^{to}. & 7^{mo}. Denique testatur, quod nullæ hic adveniant striæ sanguineæ, sed quod semper hæ maculæ rotundæ & parvæ sint, ac nunquam majores plagæ cæruleæ vel nigerrimæ reperiantur. — Ad hoc animadvertendum est, quod illud experientia Aliorum, qui eundem viderunt, contrarium sit, quia in plurimis nostri morbi casibus vibices vel maculæ majores adsint ad nigrum colorem inclinantes (53).

§. 12.

Plurimos autem Scriptores, qui *Petechias sine febre* vidisse fatentur, laudat Cl. BURSERIUS, vocatque eas *primarias*, dicens, „ quod peticulæ, quando epidemice aliquo in loco increbrescunt, non raro solitariae, & sine febre, aut alio morbo, a quo pendere queant, vagari solent; sic, ut non pauci peticulis conspersi cernantur, huc illuc sine ullo incommodo discurrere, & suis negotiis operam dare” (54). Quoniam hæ *Petechie* magnam cum nostro morbo colere videntur affinitatem; inde ratio petenda

(53) WICHMANN Ideen zur Diagn. Tom. I. 2 pag. 88 ad 92.

(54) I. B. BURSERIUS Inst. Med. Pract. Vol. II. Cap. X. pag. 334. Ed. nov. Lipsiæ 1787.

da erit, quare nonnulli Auctores ab iis *Morbum Maculosum Hæmorrhagicum* non bene distinxerunt.

Differt autem quam maxime noster morbus a *Petechiis primariis* sine febre decurrentibus, quod absente Petechiarum epidemia occurrat; dum *Petechiæ* illæ *primariæ* tempore epidemiæ grassantis sæpius sine febre observentur: in *Morbo Maculoso Hæmorrhagico*, nisi citissime curetur, semper hæmorrhagia quædam advenit; in *Petechiis* vero *primariis* nunquam, si sine febre mali moris dispareant, ea observari solet: color macularum in *Morbo Maculoso Hæmorrhagico* ordinario e rubro in brunneum, cæruleum vel nigrum colorem transit; in *Petechiis primariis* plerumque quodammodo ruber & roseus est, ac illum colorem, donec discedant, sæpe retinent: *Morbus Maculosus Hæmorrhagicus* maxime arripit ætatem infantilem; dum *Petechiæ primariæ* præ cæteris conspiciuntur in illis, qui florida ætate gaudent (55).

§. 13.

Scarlatina quoque cum hoc morbo alit viciniam.

D

(55) C. STRACK Lib. Cit. *Ægr.* 40, 41, 42, 43, 44, 45.



nitatem : sed hujus maculæ non diu inter se invicem distinguuntur, quin cito confluant, atque æquabilem cutis superficiei ruborem cancri costi ad instar sine punctis a rubo re vacuis concilient; dum in *Morbo Maculoso Hæmorrhagico* diutius remanent, nec unquam conflunt. Cæterum *Scarlatina* est morbus epidemicus, ac contagiosus, exanthematis eruptione facta, ordinario primo cutis flavescens posteaque pallescens in squamulas decidit lamellatas; in *Morbo Maculoso Hæmorrhagico* maculæ sine ulla desquamatione, vel signis post se relinquentibus resolvuntur.

§. 14.

Morbilli, si debito examini subjiciantur, facilius a nostro morbo poterunt distingui. Differunt igitur maxime in eo, quod *Morbillos* prægrediuntur symptomata catarrhalia, atque eruptio macularum febre promoveatur; hi sint contagiosi ac sæpe epidemice grassentur; quod in *Morbillis* cutis tumeat, & racematim prodeant maculæ, ordinario supra cutem elevatae; primo in facie, collo, pectore & omnium ultimæ in extremitatibus adveniant; dein eruptione perfecta lente incipiat cutis aspera fieri, & epidermis sub specie farinæ tenuis secedere; in *Morbo Maculoso Hæmorrhagi-*

gi.



gico nullus tumor cutaneus adest, nec racematim erumpunt maculæ, quæ non sæpe extra cutis superficiem eminent, nec ordinario primæ in facie & partibus superioribus observantur; sed plerumque in inferioribus ac corporis partibus vestibus tectis.

§. 15.

Miliaria rubra in multis quoque cum *Morbo Maculoso Haemorrhagico* conveniunt, & tantam cum petechiis habent similitudinem, ut olim ea pro uno eodemque cum petechiis morbo habuerint: hinc Cl. BURSERIUS, illam convenientiam percipiens, inquit: „Revera inter in-
 „ itia, quando miliare papulæ erumpere incipi-
 „ unt, sæpe peteculis similes videntur, & pro
 „ iis facile accipiuntur, nisi caute expectetur,
 „ donec eleventur, & supra cutem emineant, quo
 „ sane a peteculis, quæ planæ & sine fastigio esse
 „ solent, discernuntur” (56). Miliare papulas sine febre decurrentes se observasse, quam plurimi testantur Viri eximii, inter quos nominandi

D 2

HOFF-

(56) J. B. BURSERIUS Lib. Cit. Vol. II. Cap. XI. pag. 437.

HOFFMANN (57), COLLIN (58), Alique; quo in casu non multum videntur discrepare a nostro morbo.

Præcipua itaque diversitas inter *Miliaria* sine febre & *Morbum Maculosum Hæmorrhagicum* consistit in eo, quod hæ papulæ miliare eruptione plane peracta supra cutis superficiem eminent, atque contra pressuram renitentur, ita ut tactu commode & distincte percipiantur; nulla prorsus hæmorrhagia illas comitetur; ordinario milii seminibus similes sint, raro iisdem majores deprehendantur; semper parcam serosi humoris copiam contineant, pruritus sensationem excitent, non, nisi rarissime in facie conspiciantur, & demum, quando ad maturitatem pervenerint, disrumpantur, & arescant, tandemque in squamulas epidermis quasi siccata lamellatim secedat.

Hæc signa characteristica, si cum iis in præcedentibus §^{vis} nostri morbi memoratis comparentur, satis superque luculentam, quæ inter *Miliaria* & *Morbum Maculosum Hæmorrhagicum* intercedit, exhibent differentiam.

§. 16.

(57) F. HOFFMANN Med. Rat. System. Tom. II. Sect. I. Cap. IX. pag. 86.

(58) M. COLLIN de Miliar. rectraque Med. Rat. pag. 31.

Morbus Cæruleus multis etiam titulis cum nostro convenit morbo; cæruleas enim producit maculas, hic & illic obvias; nonnunquam hæmorrhagia aliqua sanguinis nigerrimi stipatur, torporem ad motum & frigoris sensationem inducit, ac febris quoque hic abest; dantur nihilominus talia indicia, quibus non difficulter ab eo distinguitur; in *Morbo* quippe *Cæruleo* semper adsunt cordis vel majorum vasorum vitia, cum quibus ordinario libera sanguinis circulatio per pulmones impeditur, dyspnœa & anxietas præcipue ad motum valde incrementum, quiete iterum multum imminuuntur cum macularum dissipatione; respiratio hinc ordinario tarda est & brevis cum palpitatione cordis, pulsus intermittens, irregularis & inæqualis observatur; color sæpius lividus vel cæruleus occupat vel totum corpus, vel sæpiissime caput, quod valde turget, unde oculi prominent, labia et interiora oris tumida plerumque atropurpurea deprehenduntur; ungues digitorum fere constanter cæruleo colore imbuti sunt, atque cephalæa non raro hos invadit ægros; in *Morbo Maculoso Hæmorrhagico* nulla videntur esse circulationis vel respirationis vitia organica, nec faciei turgor, atque unguium color cæruleus hic adsunt, nec motu tanta incrementa capit



noſter morbus, nec quiete diſparent ſymptomata: *Morbus Cæruleus* nonnunquam per dies, ſed ſæpiſſime per meſes & plures annos infauſto terminatur exitu; *Morbus* autem *Maculoſus Hemorrhagicus* ordinario intra 20^{ti}. dies terminatur, neque unquam ultra annum excurrit: *Morbus Cæruleus* eſt morbus ſæpe connatus, hinc infantes & jüvenes hoc morbo laborant, & ægri hocce correpti ἀκμήν vitæ raro attingunt, & fere ſemper infra 16^{tim} annum animam efflant; *Morbus Maculoſus Hemorrhagicus* non ſolum infantes & jüvenes, ſed etiam adultiores invadit: *Morbi Cærulei* ea eſt indoles, ut nulli cedat curæ, & in hoc morbo tantummodo remedia palliativa propinari poſſint; *Morbus* vero *Maculoſus Hemorrhagicus* plerumque ſubito ac plenarie curatur (59).

CA-

(59) E. SANDIFORT *Obſervat. Anatom. Patholog. Lugd. Batav. 1777. Cap. I. De rariffimo cordis vitio, in quo egregie Morbum Cæruleum pertractavit. Conf. quoque hic L. F. B. LENTIN Beyträge zur auſübenden Arzneywiſſenſchaft. Tom. II. Leipzig 1798. ſub nomine Die blaue Krankheit. a. pag. 68 ad 79. cujus morbi deſcriptio ſane valde momentofa eſt.*

e Misc. Acad. Nat. Curios. desumptam, hic adferre non dubito, qua constat, diaphoreticorum abusum post vehementissimum sudorem, variarum partium hæmorrhagias, ac macularum insignem eruptionem, conciliaffe.

N A T U R A M O R B I.

§. 24.

Expositis nunc variis hujus morbi symptomatibus & causis, transeundum nobis erit, ad breviter explicandam illius causam proximam vel naturam; in hac autem re varias offendimus Auctorum, qui hunc morbum delinearunt, sententias.

Ut a WERLHOFIO incipiam; venerabilis hic Vir (75) opinatur, hunc morbum plenarie cum petchiis ordinariis convenire, eumque pro morbo sui generis & effectu dissolutionis putridæ, varii generis hæmorrhagias producentis, esse habendum; hanc autem dissolutionem sanguinis a causa scorbutica aliave suum trahere ortum.

Aliam amplecti videtur opinionem Doct. GRAFF, qui putat, in hoc morbo non putridam sanguinis dissolutionem, verum tenuitatem vitiosam, a solida-

E 3 rum

(75) WERLHOF Lib. Laud. pag. 540. in not. 65.